



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Monumenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Francofurti ; Lipsiæ ; Norjbergæ, 1713**

V. Westphali naturâ propensi, & habiles ad doctrinam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29975**

tem indolem in tenera tua dilexit aetate. Tulit praeterea Paderbornensis ager eadem tempestate Ludovicum Dringeburgium, qui ad excitandas easdem mansuetiores litteras, magnis propositis praemiis Selestadium in Alsatiam evocatus, Joannem Reuchlinum, Beatum Rhenanum, Jacobum Wimphelingium, aliosque erudit, qui deinde insigni scientiae fama claruerunt. In Bataviam primus eadem praecleara studia, eodem hortante, & adjuvante Langio, Antonius Liber Sufatensis invexit, e cujus disciplina Alardus Amsterodamus, doctissimus ac politissimus Lovaniensis Theologus, aliique clari in litteris homines prodierunt. Quo quidem tempore nihil mihi Westphaliae videtur ad immortalem gloriam praeter te unum, Princeps Illustrissime, defuisse. Si enim tui similis quispiam Maecenas fuisset exortus, qui severas illas veterum Academiae doctrinas hanc novam humanitatis, & eloquentiae dulcedine temperasset, unoque utrasque domicilio collocasset, non facile omnibus numeris absolutam Academiae formam primus Germaniae demonstrasset.

## CAPUT V.

*Westphali naturam propensi, & habiles ad doctrinam.*

**E**quidem sic sentio: quantum inter frugiferas arbores, & eas interfit, quae praeter foliorum speciem, & umbram nihil afferunt, tantum ea gymnasia quae sciendi studia, cum linguarum cognitione conjungunt, iis praestare, quae soli poliendo sermoni, sunt consecrata. Neque id nostrates fugit, quorum ut quisque est ingeniosissimus, ita non contentus his Minoribus artibus, ad sublimiorum rerum disciplinas nativo quodam impetu, quando domi facultas non datur, in longinquas terras rapitur, quod enim est in Germania, aut superioribus annis fuit paullo florentius gymnasium? quis doctorum hominum coetus? quis denique discendi, ac proficiendi locus, qui non Westphalorum sit ingenii illustratus? Illi vero quos  
rei

rei familiaris inopia patrios fines egredi non finit, non satis illâ aviditate, quâ in his litteris percipiendis sunt versati, quarum erat domi copia, declararunt, quid in iis studiis essent facturi, quæ continent naturale quoddam pabulum præstantium animorum? Quibus tamen Westphalia adhuc publicas sedes nullas posuerat, tamen quàm crebri in ea sunt, & celebres ludi? qui concursus, ardorque discipulorum? quæ certamina æqualium? quæ cohortationes, & gratulationes parentum? quis labor, & assiduitas magistrorum? Academias profectò commemorare possum, quæ celebritate, & frequentia nullo modo sint cum puerilibus Westphaliæ ludis comparandæ. Quem enim horum nominare possis, qui vastitatem, & solitudinem, ut illæ, metuant? quò, dilabentibus civium populariumq; liberis, externos, & peregrinos auditores propè pretio conducere necessè sit? qui fucata libertatis illecebris, & indecoris immunitatibus ad pellendam juventutem indigeat? Westphalorum ea semper fuit discendi cupiditas, ut & suis gymnasiis complendis soli sufficiant, & plurimum inde redundet in externa. neque verò multum prensandi parentes, ut filios suos ad studia incumbere patiantur, quippe cum ipsi quoque ruri, atq; in mapalibus nati, qui nullam doctrinæ partem attigerunt, non temerè quemquam filiorum litterarum prorsus expertem velint. Itaque diu aliis est prius studendum, quàm studia amore esse digna cognoscant: Westphalos jam inde ab ipsis incunabulis quidam ad discendum genius extimulat. ut vel inde conjecturâ liceat assequi, quantus sit in Westphalia proventus illustrium ingeniorum. Est enim ingenium quidam mentis oculus, qui quò magis luce gaudet, atque exire gestit è tenebris, hoc est sanior, & ad cernendum, ac perspicendum acutior. Eiusmodi cum tanta sit in Westphalia multitudo, quibus, Illustrissime Princeps, velut inusitatum jubar operatam hodierno die lucem affers, non est metuendum ne unquam desint, qui ad eam accipientiam, & fruendam anhelent, seque ob immortale hoc patriæ decus æternas tibi gratias debere fateantur.